



De infantum ac paruulorum salute: dé que Christi dicto, Sinite paruulos venire ad me, &c. Conclusiones 145.

<https://hdl.handle.net/1874/452985>

^{ye c}
De infantum
 ac paruulorum sa-
 lute: de' que Christi dicto, Si-
 nite paruulos uenire
 ad me, &c.

C O N C L V S I O N E S

145.

T H O M A N A O G E O R
 go Straubingensi au-
 tore.

B A S I L E A E , P E R I O A N
 nem Oporimum.

मुख्याद्वया च

विमलोद्वया च

कुम्भोद्वया च

सुन्दरोद्वया च

कृष्णोद्वया च

प्रतिष्ठानोद्वया च

प्रदीपोद्वया च

प्रसादोद्वया च

CLARISSIMO AC D
Eissimo viro D. Ioanni à Lasco, Baro-
ni Poloniae, domino & fratri suo,
Thomas Naogeorgus

s. d. p.



B L A T V S est mihi
nuper (uir clarissi-
me) innominati cu-
iusdam libellus, in
quo autor uiginti
ponit fundamenta,
quibus paruulorum salutem gnaui-
ter oppugnat: cōtenditq; Christi di-
ctum, Sinite paruulos uenire ad me,
& nolite prohibere: talium enim
est regnum cœlorum: non de pueris
ætate, quos ille carnales appellat,
sed de spiritualibus duntaxat intelli-
gendum esse. Accusat insuper Eccle-
siam ac nos omnes, erroris & igno-
rantiæ, quod eam Christi sententiā
de piorū paruulis intelligamus, do-
ceamusq; eorum esse regnum cœlo-

a z rum,

4

rum. Quum ergo is, qui eum mihi
bellum exhibuerat, rogaret, quid de
eo sentirem: respondi, mihi non pla-
cere. uoluicq; pro meo munere, lucu-
lento aliquo & iusto libro illius refu-
tare argumenta: sed spacijs exclusus
iniquis (ut Virgiliano dicto utar) iu-
stam cōmentationem omittere sum
coactus. Ne tamē nihil agerem, bre-
uibus tantum Conclusionibus (ut
uocant) respondi, nostramq; senten-
tiā tutatus sum. Volebam quidem
his & illius libellum adiungere, quo
melius utrinqueres expensa, decidi
posset: sed obstitit, quod libellus e-
rat Germanicē scriptus: & is qui mi-
hi ad legendum dederat, exemplō
uix argumētis à me annotatis & de-
scriptis, repetiūt, neque hactenus ul-
lum aliud exemplar nactus sum. Ad
te autem (uir clarissime) hasce meas
ineptias misi, ut quoniam nunc uere
Episcopi munere fungeris in domo
Dei, & singulari polles eruditione
xc

ac eloquentia, hinc diligentius hoc
de negocio cogitandi, illiç autori
copiosius neruofiuscꝫ respondendi
haberes occasione. Bene uale, me
que dilige: nam ego te diligo.

Datum Stutgardiae, 23.

Maij. 1556.

4 3

DE

8

DE INFANTVM AC PARVVLORVM SALV te: deçp Christi dicto, Sinite par uulos uenire ad me, &c. Conclusiones.

CONCLVSIO PRIMA.

Quod libelli autor nomine suum disimulat,
suspectum est et prauum. Io. 3. Qui ma
le agit, odit lucem.

2.

In bonis nostris operibus uanam gloriam affe
clare, duntaxat prohibitum est: alioquin ad Dei
gloriam, proximiq; utilitatem, no debent abscon
di. Matth. 5. Sic luceat lux uestra coram hominie
bus, ut uideant opera uestra bona, et glorificent
patrem uestrum coelestem.

3.

Veritatem Dei pro officio confiteri nemo eru
bescere debet, tametsi uideatur periculosem. Mat.
10. Luc. 9. 12.

4.

Nihil est quod dicat, nomen suum odiosum ea
se, aut certe non satis gratiosum. Nam et Aposto
lorum prophetarumq; nomen non minus coram
mundo odiosum erat: nihilominus tamen aut pers
onaliter

Conclusiones.

7

sonaliter ipsi docuerunt, aut nomen suum scriptis addiderunt, sicut manifestum est.

5.

Quamobrem si quid in autore Apostolici ac Christiani spiritus esset, (quemadmodum iactat se, solumq; se Christi sensum habere putat) ueritatem confiteri nō erubesceret, neq; metueret, sed nomen suum apponere.

6.

Quicunq; non uocatus, & absq; mandato uel sermone uel scripto quicquam in ecclesia docet, nihil de eo boni sperandum est, & pœnias præsumptionis daturus est. Hier. 23. Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, &c.

7.

Bona intentio (quam dicunt) hac in re nihil habet loci: ut nempe existimet, ecclesiam fidemq; perituram, nisi subueniat. Stulta est huiusmodi uoluntas, et animaduertione digna, sicut de Oz a scriptum est 2. Reg. 6. & Psal. 49.

8.

Nemo plus Ecclesiā diligere potest, nec diligit, quam Christus. is etiam operarios uocabit in ueniam suam, ac messem. Matth. 20. Luc. 16. Nihil opus, ut semet quisquam intrudat.

9.

Christus in Euangēlio quibusdam præcipit, ne

* 4 quid

8 De infantum baptismo

quid de se loquantur & prædicent alijs: quibus si uero, ut se prædicent. Vnde satis intelligi potest, si non promiscue ab omnibus, sed à uocatis prædicti uelle. Matth. 8. Luc. 9.

10.

Quod si ergo libelli autor ad docendum non est uocatus (ut suspicor) iure à publicè scribendo docendoq; abstinere debet. Familiam suam domi in silentio docere potest.

11.

Quod Christi dictum, Sinite paruulos uenire ad me, ac nolite prohibere, &c. à pueris infantib; iuxta ætatem auferit: inde constat, cum de paruulo rum ex Christianis parentibus natorum salute nihil recti sentire. Nec ab hac nota liberatur, quod se paruulos condemnare nolle protestatur.

12.

Prædicta Christi uerba, ecclesia hucusq; de paruulis ætate intellexit ac exposuit, ad parentū consolationē, ac fiduciam erga Christum: neq; id absurde. Quod si uero autor illius libelli de talibus paruulis ea intelligi non uult, aliam de paruulorum salute sententiam proferre debuit, si reuerteret eos nollet condemnare.

13.

Quia autem nullam adfert, & hanc nobis præsterre auferre contendit, constat, cum paruulorum salutem

Conclusiones.

9

salutem in dubium ponere, & non credere.

14.

Diuina electio prædestinatioq; in genere, ac oc-
culte pronunciant de omnibus hominibus: iuxta
quas, particulariter de ecclesiæ membris iudicari
non potest. quandoquidem ecclesia de manifestis,
non de occultis iudicat.

15.

Nec ab electione inchoandum est iudicium: al-
tior est enim nobis, et incognita. sed ab infimis &
manifestis ascendendum ad electionem Dei.

16.

Nullus unquam Apostolus aut Propheta ita do-
cuit: Si electus es, saluus eris. Hoc enim esset incipe-
re à minus notis & altioribus.

17.

Sed concionum illarum summa fuit: Pœnitentia
tiam agite, & credite Euangelio. Item: Qui credi-
derit, & baptizatus fuerit, saluus erit, filius Dei
est, & hæres. Ioan. 1. 3. & 1. Ioan. 5. Mar. 1. Rom. 3.
5. Gal. 3. Act. 16.

18.

Ideo ecclesiæ iudicium consistit in doctrina,
ceremonijs uel sacramentis, et externis operibus,
à quibus iuxta Scripturas ascendi ac perue-
niri potest ad electionem, ut à notis ad
minus nota.

¶ 5

19.

10 De infantum baptismo

19.

Qui Euangelij doctrinam amat, & libenter audit, eum iudicat ecclesia credere, Deique habere spiritum: & consequenter, electum esse. Io. 3. Qui ex Deo est, uerba Dei audit.

20.

Sic ecclesia iudicat de omnibus baptisatis, quod sint membra Christi, eiusque beneficiorum participes et electi. Gal. 3. Quicunque baptisati estis, Christum induistis.

21.

Qui accedit ad Domini mensam, is iudicatur credere, salutisque suae fiduciam in Christi mortem collocare, esseque in communione corporis Christi. 1. Cor. 10. Panis quem frangimus, nomine est communio corporis Christi.

22.

De iis qui bona faciunt in fide, pronuntiat ecclesia, quod iusti et ex Deo sint. 1. Io. 3. Io. 5. De male facientibus autem, quod sint a diabolo, nec Dei regnum uisuri. 1. Io. 3. Gal. 5. Eph. 5. 1. Cor. 6.

23.

Huiusmodi autem Ecclesiæ iudicium iuxta Scripturas, de presenti est, non de futuro: cumque habeant adiectionem, si tales esse perseverant.

24.

Et tametsi Ecclesiam interdum iudicando de quibusdam

Conclusiones.

11

quibusdā uel multis uel paucis, qui baptisati sunt,
Euangeliumq; amāt, bonisq; student operibus, er-
rare ac falli contingat, quod uidelicet electos di-
ceret, qui reuera electi non essent: nihil hoc tamen
iudicio Deo admittit, neq; ipsa potest aut debet ali-
ter statuere. De omnibus enim præsumendum bo-
num, nisi probetur contrarium. Et tutius est, ut e=
tiam de malis bene sentiat, propter bonos: quam
ut propter malos, etiam bonos abijciat. Hac regu-
la D. Paulus utitur erga Corinthios et alios, quos
uocat omnes, electos, sanctosq;: non ignarus, mul-
tos inter eos esse prauos.

25.

Quare quod nos libelli autor ad electionem iu-
bet respicere, atq; ita de paruolorū salute statue=
re, inane est: neq; ita certiores reddimur, sed indu=
cimur magis in dubium. Præterea contra Scriptu=
rarum morē est, ita de Ecclesiæ membris statuere.

26.

Ediuerso sentimus nos, credentium infantes
unā cum parentibus esse in Dei fœdere, ac saluos
fieri. Et quod Christi dictum, Simite paruulos ue=
nire ad me, &c. de infantibus iuxta etatem, deq;
spiritualibus pariter, intelligendum sit.

27.

Omnes homines qui fidem sibi uiamq; ad salua-
tem proposuerūt, ij cupiunt uoluntq;, ut ipsorum
pueri

12 De infantum baptismo
pueri nō aliam fidem aut uiam amplectantur, aut
sequantur, sed in ipsorum fide salutem (quam tu
tiam ipsi sperant) consequantur.

23.

Quod si ergo parentes ueram habent fidem ad
Deum per Christum, illorum etiam infantes pro-
pter eam fidem sunt in Dei fodere: sicut scriptū
est Gen. 17. Statuam pactum meum inter me & te,
ut sim Deus tuus, & seminis tui, &c. Hac igitur fi-
ducia paruulos suos addicunt Christo: patrīq; si-
gnūm, baptisma nempe, illis cōferrī uolūt. Quā-
re si tales paruuli ante adultam decedunt & tamen,
salvi fiunt: itidem, si adulti permanent in fide. Se-
cūs autem, si desciscant à fide.

29.

Parentes iuxta ipsorum fidem infantes suos uel
Deo uel diabolo addicunt: parentumq; fides par-
uulis nondum adultis, uel prodest, uel obest. Psal.
105. Obtulerunt filios & filias suas demonijs. Ita
Sodomitarum, aliorumq; impiorum infantes, in
diluvio, alijsq; pœnis ultionibusq; diuinis, pariter
perierunt.

30.

Quod Ezechieliſ 18. scriptum eſt, Vnusquisq;
in impietate ac peccato ſuo morietur: et, Filius no-
portabit iniqüitatem patris, &c. cōſtat ex textu,
id nō de infantibus, ſed de adultis dictum eſſe, qui
faciliſ

Conclusiones.

13

sunt uel bonis uel malis parentes imitantur.

31.

Si obest infantibus originale peccatum, quod
abs sua culpa, iuxta carnem à parentibus traxe=
runt: cur non illis etiam prodebet parentum fides
in Christum, ne illud illis peccatū imputetur pro=
pter Christum, cui addicuntur cōsecranturq; à pa=
rentibus uoluntate ac proposito? quandoquidem
gratia uberior est cōdemnatione, donumq; maius
delicto. Rom. 5.

32.

Quod autem parentes paruulis suis tam cor=
poraliter quam spiritualiter profint, sicut etiam
obsunt, iuxta diuersam fidem, manifestum est: idq;
indicat Psal. 111. & 127. & D. Paulus 1. Cor. 7.

33.

Quod dicitur, Vnumquenq; sua fide salutem
consequi: uerum est de adultis, qui sicuti propria
utūtū ratiōe ac iudicio, ita eos oportet propria
etiam niti ac seruari fide. Secus autem habet in in=
fantibus, qui sicuti aliena parentum reguntur ra=
tione, atq; ad optimā ducuntur in corporalibus,
ita illis etiam prodest parentū fides, quodq; De=
mino Christo addicuntur.

34.

Psal. 144. Voluntatem timentium se faciet, &
deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet

eos.

14 De infantum baptismo

eos. Pij Christiani cupiunt uoluntq; suos paruulos
in foedus gratiae recipi, propter Christū. Quare
non est dubium, quin Deus eos recipiat, iuxta p̄t̄
rentum desiderium atq; fidem, liberetq; eos tamē
spiritualibus quam corporalibus dannis. Ita mis-
licer Cananæa impetravit filiæ suæ liberationē à
demonio, sua fide. Matth. 15. Ita sanitatē Regulus
suo filio. 10. 4. Ita Centurio quoq; suo seruo. Mat.
8. Ita & alij multi in Euangelio & ueteri instru-
mento.

35.

Quod diuus Paulus ad carceris custodem dis-
xit, Act. 16. Crede in Dominum Iesum Christum,
& saluus eris tu & domus tua: non aliter potest
intelligi, quam quod illius fides etiam infantibus
ipsius (nam hi quoq; ad familiam in primis perti-
nent) profutura esset ad salutem. Reliqui enim in
familia adulti, audiuerunt uerbum Euangeli, ita
deq; fidem hauserunt, suntq; baptisati.

36.

Sic etiam Cornelius Act. 10. cum tota familia
credidit, baptisatusq; est. Sic etiam de Regulo scri-
ptum est, 10. 4.

37.

Horum nullus haud dubie, aliam suis paruulis
optauit fidem & salutem, quam sibi ipst. Atq; ut
semet, ita etiam paruulos suos Christo consecra-
vunt.

Conclusiones.

35

Vunt. Cur Christus non receperit ab illis, quando-
quidem dicit Matth. 11. Venite ad me omnes qui la-
boratis & onerati estis, ego refocillabo uos?

36.

Quod autem libenter receperit, proq; suis am-
gnouerit, ex historia, quæ Mat. 19. Mar. 10. Luc.
is scribitur, manifestū est, ubi etiam serio discipu-
lis indignatur, quod paruulos sibi adserri prohi-
berent: amplectiturq; eos, eisq; benedicit.

37.

Quoniam parentes intelligunt paruulos suos
peccati originalis reatu teneri, cumq; illis remitti
ex foedere, opusq; adhuc habere benedictione ac
confirmatione Christi, quemadmodū & ipsi: cau-
sam urgentem habent, ut eos Deo & Christo con-
secrant, quo donentur ipsius spiritu & cognitio-
ne, iuxta promissionem.

38.

Hoc Dominus quoq; facit, quod constat ex eo
quod dicit, Sinite paruulos uenire ad me, & noli-
te prohibere. Talium enim est regnum cœlorum:
quodq; amplexatus est eos, eisq; benedixit.

39.

Parentes sperarunt in Christum aduenturum,
habueruntq; fidei huius signum, circumcisionem:
unde quam ipsi, tam ipsorum paruuli fuerunt in
Dei foedere. Quare ad Christum præsentē se con-
tulerunt,

16 De infantū baptismo
tulerunt, pariterq; suos ad illum attulerunt pate
uulos, ut benedictionem consequerentur, &c.

42.

Alij, qui non crediderunt, nec Deo confisi sunt
propter Christū, non fuerūt in foedere, nisi quan
tum ad externum signum attinet: unde neq; illos
rum paruuli. Atq; ita præsentem Christum non de
gnouerunt, neq; suos ad eum attulere infantes.

43.

Infantum ad Christum allatio, satis testificatur,
quid parentes de Christo senserint. Christus etiam
uicissim testatus est, parentes huiusmodi unā cum
pueris ipsorum fuisse in foedere gratiae.

44.

Fuerunt autem parui pueri ac infantes, quos
Lucas βρέφη appellat, iuxta etatem: qui sibi nihil
tribuerūt, neq; ulla propria freti fuerunt iusticia:
sed à parentibus, unde Deo addicti erāt in gratiā
fœderis.

45.

Quare Christus pronūciat, regnum cœlorum
eorum esse, non quidem iuxta carnalem natuita
tem, sed iuxta promissam fœderis gratiam, atque
innocentiam.

46.

Et dictum est hoc de paruis pueris, qui pariter
Dei filii erant: & non solum de spiritualibus pue
ris.

Conclusiones.

17

Tales enim amplexus est, eisq; imposuit manus, ac benedixit.

47.

Libelli autor spirituales fingit pueros, qui carnem sanguinemq; non habeant: quales nulli fuerunt inter homines. Et arbitratur, puerum etate non posse puerum esse spiritu: contra allegatam Christi sententiam, & alias.

48.

Vt suum probet propositum, magnopere argumentatur de uoce, Talium: quasi nos Dominus ea sursum ducere uoluerit, nihilq; omnino de pueris etate locutus sit: quod tamen contra linguarum ac similitudinum proprietatem est.

49.

Fatemur nos, uocem Talium, comparationis & similitudinis esse. Omnia uero prædicata operet in subiecto, unde comparatio dicitur, uera esse: alioqui comparatio ridicula & nulla est, nec prædicatum consistere potest.

50

Ita, quod si regnum cœlorum, paruolorum ex pījs parentibus natorum non est, neq; Talium esse potest.

51

Quapropter quū Dominus dicit, Talium, confirmat primum, quod regnum Dei eorum paruolorum

b

lorum

18 De infantum baptismo
lorum, quos praesentes amplectebatur, esset, quia
do ex p̄is & foederatis nati, adeoq; innocentia et
simplicitate praediti erant: deinde omnium talium
tam puerorum quam adulorum, qui propriæ diffi-
cili iusticie, Christi gratiam, Dei q; pactum amplexi
etuntur, studentq; simplicitati ac innocentie.

52.

2. Par. 2. scribitur de aromatis, quæ regina Sae-
ba donarat Salomoni. Non fuerunt talia aroma-
ta, ut haec quæ dedit regina Saba regi Salomoni.
Hic mihi sensus aliorum, nempe sursum uertens
dus esset, iuxta huius magistri sententiæ: neq; sens-
tiendum, donata aromata à regina, fuisse preciosis-
sa, sed alia quedam. Nam non haec, sed Talia scri-
ptum est.

53.

Quin etiam de solio eburneo paulo post dicis-
tur, Non fuit tale solium in universis regnis. Hic
quog; non deberem sentire, iuxta autoris senten-
tiam, solium illud fuisse insigne ac preciosum, sed
sensum per anagogen in aliud quippiā defigere.

54.

Quò nos dicit D. Paulus, scribens Rom. 1. &
Gal. 5. Qui talia agunt, digni sunt morte, & res-
ignum Dei non possidebunt? An non sentit de scis-
teribus antea enumeratis primum, deinde de simi-
libus? An intellectus sursum est tollendus ad alia
qua piame?

Conclusiones.

19

quepiam? Si dixisset, Hæc sententia ad enumera-
ta tantum flagitia restrinxisset: quia uero dixit,
Talia comprehendit pariter recitata, et recitatis
paria.

55.

Cant. 5. describit sponsa dilectum suum per uarias
comparationes, quod sit pulcher, candidus, p̄ea
clarus, ornatus, fortis, procerus, atque amabilis:
postremoq; addit, Talis est dilectus meus. Quan-
do hic Talis scribitur, aurum ergo non est precio-
sum, neque alia quibus comparatur dilectus, pul-
chra sunt & laudabilia, iuxta huius autoris fa-
pientiam? Quis autem credet?

56.

Oportet autem ea uerè preiosa, pulchra, ama-
bilis & proceræ esse, si modò dilectum eiusmodi,
nempe talem intelligere debemus: & cōparatio-
nem ad honorem factam, et non ad contumeliam.
Alioqui tantum uideretur dixisse, Dilectus meus
pulcher est, & procerus, nempe similis simiae ac
myricæ.

57.

Ita quum Dominus dicit, Talium est regnum cœ-
lorum: ostendit nobis primum, paruos illos es-
se beatos, regniq; cœlestis participes, propter pa-
tium atq; innocentiam. deinde oportere adultos
eiusdem pacti atq; innocentie esse, si modò regnum

b 2 Dei

20 De infantum baptismo

Dei uelint possidere: sicut dicit Mar. 10. Qui regnum cœlorum non accipit ut paruulus, non ingredietur in illud.

58.

Si non bene de paruulis sensisset, uideretur disceisse, Paruuli non perueniunt in regnum cœlorum, neq; eorum est: & si uos illis similes fueritis, neq; uos in illud peruenietis. Hoc autem planè Christi sententiae aduersatur.

59.

Quare sententia Christi est, Regnum cœlorum horum paruulorum est, qui in me credunt (pactum enim, & parentum fides, pro fide propria illis imputatur) & omnium illis similium, non iuxta es-
tatem (hoc enim fieri nō posset) sed iuxta pactum ac innocentiam, &c.

60.

Quamobrem dictio Taliū, nos primum inspi-
cere iubet parulos, deinde alios eorum similes.
Et si paruuli in Dei gratia non sunt, neq; similes
eorum esse poterunt.

61.

Quod autem non dixit Horum, sed Taliū,
ideo factum est, quod per uoculam Horum, nō deli-
ligi possent, sed tantum illi paruuli præsentes, intel-
ligi. At uox Taliū, & illos præsentes, atq; alios
omnes eorum similes demonstrat. Quemadmo-
dum

Conclusiones.

21

dum et cœlorum regnum, non tantum illorum erat parvorum, sed et nostrorum est, et omnium credentium: nec parvorum tantum, sed et adulorum senumque: ita tamen, si fiant sicut parvuli. Matth. 18. Mar. 10.

62.

Quid multis autem opus de uoce Talis? quando in omnibus linguis notum est, eam prædicari ac affirmare primum de subiecto, deinde ab eo de alijs similibus. Accipiturque frequenter uice prouocabuli demonstratiui, Hic.

63.

Quum equum video, dicoque, Talis equus centum ualeret aureis: manifestum est, quod equum etiam præsentem tanti aestimem.

64.

Loquente diuo Paulo ad Iudeos, Act. 22. claramabant illi ad tribunum: Tolle de terra huiuscmodi, uel tam. Hic libenter audirem sapientem illum libelli autorem, an uocem huiuscmodi, uel tam, de Paulo intelligere debeam, an alio trahere intellectum, fortasse ad Antipodas. Textus certe non permittit, nisi de Paulo principaliter ac principie intelligi, deinde de similibus.

65.

Ex omnibus his constat, ecclesiam de piorum infantibus statuere oportere, si decadant ante usum

22 De infantum baptismo
sum rationis, etatemq; adultam, quod salui sint,⁴⁶
regni coelorum ciues, secundum Scripturam.

66.

Tantisper etiam hac in sententia de paruulis
persistere debet, quo ad adulti manifestis criminis
bus ab obstinatione declararint se foedus Dei re-
quere, aut non uerē in eo esse.

67.

Similiter ex de eorum paruulis qui extra ec-
clesiam sunt, iudicat, si ante adultos annos dece-
dunt, damnatos esse, quod in foedere non sint, nec
a reatu peccati originalis absoluti. Ex perstat hac
in sententia, donec rationis usum adepti eorum
paruuli, ad Christum se conferant, recipianturq;
in ecclesiam.

68.

Libelli autor nullum facit discriminem inter hu-
dæorum uel Turcarum & Christianorum infan-
tes, neq; quantum gratiæ ac prærogatiue Chri-
stiani, eorumq; infantes præ ceteris habeant, indi-
cat: unde suspicari possis, eum quamlibet fidem
perinde aestimare.

69.

Ad hoc, non cernit quales nam homines ipsos
rum paruulos Christo adduxerint, quantæq; sit
uirtutis gratiæq; Dei foedus, quidq; nos de eo sen-
tire oporteat: sed transit hæc oscitâter, nobisq; di-
cit

Conclusiones.

23

eit de electione: conaturq; concionatores docere tandem, qui sit Christi sensus, quodq; iudicium spiritus.

70.

Ante quam nasceretur, notum fuit sacras scripturas de duplice nativitate, duplicibusq; pueris, carnis nempe ac spiritus, loqui: idq; satis distincte. Neq; nos confundimus, sed dicimus, carnales pueros (sic enim eos appellat) pueros etiam spirituales esse posse, ac Dei filios: Dei autem filios et spiritus rituales esse non posse, nisi prius sint carnales: hoc est, nisi communi modo naturae nascantur, contentiq; ex carne ac sanguine. Renasci enim non potest, qui nondum natus est, ut ait Augustinus.

71.

Falso accusat ecclesiam, quod Christi dictum, Talium est regnum coelorum, &c. de pueris dunt taxat carnis ac sanguinis respectu intellexerit. Nam hoc praecepit in pueris animaduertit, quod Christo essent a parentibus consecrati, infertiq; per baptismum: quodq; essent sancti, e piis parentibus natu*ri*, iuxta D. Paulum: deminde et hoc, quod absq; malicia simplices forent, minimeq; arrogantes, suisq; immitentes uiribus, que in pueris etiam Christus laudauit Matth. 18. Et haec quidem hactenus de tota re in genere, nunc etiam illius fundamenta ordine uidebimus.

De infantum baptismo

De primo.

72.

Quoniam Christi dictum Io. 5. Verba mea spiritus & uita sunt, etiam ad hæc uerba Christi deuotus, Talium est regnum cœlorum: sufficor libelli autorē ex Suencfeldiana schola esse. Is enim illud dictum nusquam non inculcat, & ad omnia torquet. Atq; hic noster indicat in libello predicatione, omnia Christi uerba mystice atq; allegorice, & nescio quām spiritualiter esse intelligenda.

73.

Quid autem sibi uult, quod ait: Christi uerba, Talium est regnum cœlorum, non sunt litera, sed spiritus & uita? Puto eum dicere, non esse intelligenda sicut sonant secundum literam, sed tropice ac allegorice. Nam fortasse allegoricū sermonem, pro spiritu & uita accipit, iuxta Origenem.

74.

Significat quidem spiritus interdum altiorem ac penitiorem sensum, quām litera indicat & ostendit. attamen D. Paulus literam & spiritum sollet opponere: literaq; apud eum sunt, umbræ ac typi, operaq; sine Dei spiritu facta, nempe iuxta legem, quæ spiritum sanctum non confert. Gal. 3. At spiritus sunt, uiui motus cordis, legi Dei consentanei, per Euāgeliū, adeoq; per spiritum sanctum, ut gratiae per Christum promissæ arrabonē, excitatii-

Conclusiones.

25

tati. Et quicquid non ita uiuit in cordibus per sp̄i
ritum sanctum, etiam allegoricē intellectum, licea
ra occidens est.

75.

Quomodo autem nobis probabit, omnia Chri-
sti uerba, non ut sonant secundum literam, sed sp̄i
ritualiter aut allegoricē aut anagogicē esse intelli-
genda? Nam tametsi in quibusdam locis hoc face-
re debemus, propter fidei analogiam, utq; uitetur
absurditas: non consequitur tamen, id ubiq; esse
faciendum.

76.

Nec possumus, nec debemus in scripturis, Do-
miniq; uerbis ullum admittere tropum, nisi ubi si
dei analogia, sermonisq; absurditas id exposcit.
Atq; ubi fides nō lēditur, nihilq; legi D. i contra
rium præcipitur, uerba sunt intelligēda, ut sonat.

77.

Christus dicit Matth. 21. Ite in castellum quod
contra uos est, & statim inuenietis asinam alliga-
tam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi.
Hic nobis fortasse persuadebit autor, ne iuxta lite-
ram, sed spiritualiter uerba: nec de naturali asina
& pullo, sed de carne redigenda in obsequiū Chri-
sti, seu aliud quid intelligamus: quando Domini
uerba de carne sua edenda, sanguineq; suo biben-
do, spiritus & uita sunt. Verūm simplices Aposto-

b s li intel-

26 De infantum baptismō

li intellexerūt simpliciter, & adduxerunt ueram
æsinam & pullum. In causa fuit, quod tales non ha-
buerunt magistros.

78.

Sic habet in alijs sexcentis, ubi uerbis citra tro-
pum inhærendum est, ut sonant, quum nulla nos
necessitas aliò uocet.

79.

Ita in uerbis, Talium est regnum cœlorum, mul-
lus fidei articulus, nullaq; absurditas cogit, ne de
infantibus ea, paruulisq; piorum intelligamus.

80.

Quod regnū Dei spirituale, filijq; regni spiritu-
tuales sunt, nō impedit, quin et infates spiritua-
les esse possint, et in Dei foedere. Imò expeditiorē
ad hoc aditū habet quam adulti: unde adultos puc-
ris similes esse oportet. Matth. 18. Mar. 10.

81.

Suspicari uidetur autor, quasi regnum cœlo-
rum paruulis ideo tantum tribuamus, quod carne
ac sanguine constent. Sed hoc non facimus, neque
Christus fecit: sed ad quod Christus in illis paru-
lis respexit, ad id nos quoq; in piorum infantibus
respicimus, nempe quod sint in foedere, &c.

De secundo.

82.

Etiam si Scriptura sacra, illudq; Christi dictū,
non

Conclusiones.

27

non pueris, tamen de pueris ad parentum & Ecclesiae consolationem ac doctrinam scriptum est, ut sciant, quid de parvulis piorum sit sentiendum; nec sequitur, Pueri legere ac intelligere non possunt, ergo de pueris non debet intelligi.

83.

Scriptura loquitur de passeribus & lilijs, Mat. 6. Item de bobus, Non obligabis os boui triturati. quamvis passerem bouesque scripturas legere ac intelligere non possint, ergo ne propterea sentiam, eam non loqui de naturalibus passeribus, bobus et lilijs, sed de spiritualibus? Hoc nonne est inane prestitum?

84.

Quemadmodum Scriptura nos docet de passeribus, bobus et lilijs, ut sciamus, ea Deo esse curae: ita nos etiam docet, quod Deus, noster & puerorum nostrorum pater & curator esse uelit, nostrique curam gerat. An nobis magis necessarium est, scire de passeribus et bobus, quod Deo sint curae: quam de liberis nostris, quos Christo offerimus, quod sunt sancti & salui?

85.

Apparet libelli autorem non esse coniugatum, aut certe nullos habere liberos. Nam puerorum salus non est ei curae, sed subuertit, quantum in ipso est.

De

De infantum baptismo De tertio.

86.

Quod Christus non respicit personas, magis pro nobis facit, quam contra nos. Sic enim illi placent infantes & adulti, viri ac mulieres, propter pactum atque innocentiam. Neque adultos promovet etas, rationisque usus, ut nec infantes impedit infantia.

87.

Christus non locutus est de pueris (ut saepe iam dictum) quod regnum coelorum ipsorum sit, respectu carnis & sanguinis, sed respectu foederis gratiae ac innocentiae: sicut et nos de pueris adhuc loquimur & sentimus. Quare non sequitur, quod respiciat personas. Prædicta enim illi placent in parvulis & adultis.

88.

In margine annotauit autor: Si Christus id dissiisset de paruis pueris, tunc sequeretur, Iudeorum infantes melius habere, quam adultos Christianos. Hoc merum somnium est, et peruersio. Vbi enim unquam audiuit ecclesiam docere, quod regnum coelorum, infantium sit Iudeorum aut Turcarum, quatenus Iudei & Turcae Christum contemnunt, nec agnoscunt pro seruatore? Nos loginmur de Christianorum & piorum parvulis, qui in foedere ac Christo inserti sunt.

Dc

Conclusiones. De quarto.

29

89.

Nemo negavit, regnum cœlorum non ob pri-
mam nativitatem, sed ob secundam nobis promita-
ti: atq; autor magnificis ac ampulloſis uerbis dui-
t exat φλυαρι, ut imponat simplicibus.

90.

Si paruuli non poffent renasci ante etatem ad-
dultam, locum haberet, quod scribit. Vnde autem
hoc probat? Nunquam poterit probare. Nam ad
regenerationem paruuli aptiores longe ac habi-
lores sunt, quam adulti & senes, quantumlibet
etiam ratione uigeant & intellectu.

91.

Qui sunt in Dei fœdere, Christumq; induerunt
per fidem & baptisma, iij sane regenerati sunt. Par-
uuli autem Christianorum Christo addicuntur &
inseruntur per fidem et baptisma. Gal. 3. Ideo sunt
regenerati, atq; regnum cœlorum ipsorum est, &
omnium talium.

De quinto.

92.

Hic per pulchrum adfert syllogismum: Regnū
Dei cōficit in iusticia, et Christi cognitione, &c.
Paruuli non sunt iusti, nullamq; habent Christi
noticiam: quare Dei regnum ad eos nil pertinet.
Quis non meritò hunc magistrum laudet? Porro
non

30 De infantum baptismo
non tantum operæ sumere debuerat ad probandum
maiores, quum sit absq; controvèrsia: sed ad mis-
norem (ut uocant) fulciendam ac probandam,
nempe piorum paruulos non esse iustos, nullamq;
habere Christi noticiam, &c. Hanc partem trans-
filit, quasi non opus habeat probatione.

93.

Quanquam prius dictum est, quòd propter
parentum fidem paruuli sint in fœdere, quodq;
per eos Christo addicantur, inferanturq; ad iusti-
ficationem, quodq; Christus eos recipiat, proq;
suis agnoscat: nihil tamen obstat, quo minus sen-
tiamus, Deum etiam paruulis iuxta ipsorum men-
suram filij sui dare notitiam ac spiritum sanctum,
licet in eis non animaduertamus, neq; noticia sepe
exerat.

94.

Si dicerem, Paruuli sunt rationis expertes: nam
non sentimus, quòd ea utantur: ergo non sunt ho-
mines. Responderet mihi quispiam, Non ita colliz-
endum est. Nam tametsi nō sint rationales acti,
sunt tamen potentia. Ad hunc modum etiam hic
dico, Christi noticiam ac spiritum sanctum in par-
uulis suo quodam modo esse posse, unde sint filii
Dei, etiamsi nos non animaduertamus extrinse-
cus. Idcirco enim Christo à parentibus addicuntur
ad regenerationem, ut eos suo donet spiritu: quod

Conclusiones.

32

ut faciat, p[er]ij parētes cum eccl[esi]a orant, credūtq[ue]
cum facere iuxta promissionem. Luc. 11.

95.

Si Dominus tantum adultos, & ratione uten-
tes, suo spiritu ac cognitione donaret, acceptor ui-
deretur esse personarum: quod non est. Deut. 10.
Rom. 2.

De sexto.

96.

Quamvis sentiamus, pueros Christo oblatos,
antea fuisse in foedere, per parentum fidem et cir-
cumcisionē: quid tamen obstaret, quo minus Chri-
stus manū impositione, benedictione q[ue] sua po-
tuisset dare spiritum sanctum? Apostoli certē ma-
nuī impositione dederunt, idq[ue] uisibiliter. Quare
autoris cōclusio, quā urget perpetuò, nihil ualeat.

De septimo.

97.

Non dicimus, regnum cœlorum per carnalem
successionem dari: sed per spiritualem fidei gra-
tiam, & propter Christum.

De octavo.

98.

Vt non consequitur, Perfectus uiuusq[ue] homo
ambulat ac stat, utiturq[ue] ratione: paruuli non am-
bulant, neque utuntur ratione: ergo non sunt uiui
homines.

52 De infantum baptismo
homines: ita non bene colligitur, Paruuli nondum
et faciunt opera bona, quae adulti filij Dei faciunt,
ideo non sunt filij Dei. Nam etiam fides suam habet
infantiam: & non continuo omnis credens facit,
quae oportet, ut manifestum est de Apostolis. 10.
16. Eph. 5. 1. Cor. 3. 1. Pet. 2.

99.

Paruuli fiunt nouæ creaturæ, qui Christo ad-
dicuntur & inferuntur. quare uerba Christi, Tertius
lum est regnum cœlorum, de pueris dicta sunt.

De nono.

100.

Non solum in nouo, sed etiam in ueteri Testa-
mento unus duntaxat populus fuit foederis diuini
particeps: quamuis iuxta externum ecclesiæ iudi-
cium, externamque politiam, olim et nunc multi in-
dicantur & iudicati sunt illius participes, qui res-
uera tamen non fuerunt. Atqui ecclesia (ut suprdictum) iure sentit de omnibus bene, qui doctrin-
am & sacramenta percipiunt, donec semetipso*s*
manifestent, quod ex omnibus Christi non sint, aut
Dominus tandem lolium ex agro suo colligere in-
beat, purgetque aream suam, separatque oues suis ab
hircis. Matth. 3. 13. 25.

101.

Omnes unū sumus in Christo. Gal. 3. quamobrem
paruuli non sunt excludendi, aque Christo, cui dedi-
ti sunt,

Conclusiones. 33
ti sunt separandi. Quare autoris conclusio et fun-
damentum nihil facit.

De decimo.

102.

Suprà dictum est, filios Dei in hac uita sine carne ac sanguine esse non posse. Necesse est eos uiuere in carne, sed non debent uiuere secundum carnem. Ro. 8. Gal. 2. sicut & paruuli non uiuunt secundum carnem, atq; ita possunt esse in Christo, & filij Dei.

103.

Citatus locus Pauli Gal. 3. Hoc solum à uobis uolo discere: Ex operibus legis spiritū accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut quum spiritu accepitis, nunc carne cōsummamini, etc. nihil admiculatur autori de carnalibus suis paruulis. Vnde liquet, quòd cum non intellexerit, sed absq; delectu ac iudicio omne arripuerit, ubi uocem Caro reperit. Carnem enim eo in loco Paulus, legem legisq; opera & typos appellat.

De undecimo.

104.

Hoc fundamentum nihil facit contra nos. Nam confitemur paruulos in peccatis nasci & cōcipi. Tale peccatum autem illis nō imputatur propter pactum, et Christum, cui offeruntur & dicantur:

c. atq;

34 De infantum baptismo

atq; ipse etiam eos recipit, regeneratq; per spiritu
tum suum.

De duodecimo.

105.

Etiamsi parvuli, eo modo quo adulti, credere
non possint, nempe instituti per uerbum & do-
ctrinam, Rom. 10. supra tamen ostendi, parvulos
Christo addici parentū fide: qui postea illos etiam
haud dubie suo spiritu, cognitioneq; quantum il-
lis opus, donat. Neq; idcirco due parantur uia ad
salutem, sed manet fides in Christum, siue sit pro-
pria, siue aliena.

106.

Quamvis non recorder, an unquam legerint
in Scripturis, fidem appellari uiam ad salutē: non
repugnabo tamen. Forsan enim Rom. 5. Psal. 13.
Heb. 11. tale aliquid scribitur. Quod autē se Christus
uiam ad patrem appelle, certum est. 10. 14.
Ego sum uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad pa-
trē, nisi per me. Ut ita fides potius diuina insti-
tutio, firmaq; persuasio dici posset, qua Christū,
uiam ad salutem, apprendimus ac retinemus: ne
duas faceremus uias. Nam fides & Christus non
sunt idem, ut nec sensus & obiectum.

107.

Quod si uero parentes parvulos suos per fis-
dem atq; spem Christo adducunt, qui uia est ad sa-
lutem:

Conclusiones.

39

utem: uia certe non mutatur, sed recte insistitur,
ut paruuli perueniant ad salutem. ut Christus di-
cit: Sinite paruulos uenire ad me, & nolite pro-
hibere. Talium enim est regnum cœlorum.

108.

Autor libelli existimat, quia nobis de paruulo
rum fide non constat, nostrum non esse, paruulos
uel saluos uel damnatos asserere. Elegans supra
modum hæc doctrina est, unde nō credere, sed di-
bitare discimus, dēq; nullo hominum bene sentire.

109.

Mibi non solum de infantibus, uerum etiam
de adultis non constat, an credant. Nam adulorū
confessio, mendax esse potest, meq; decipere: meum
tamen est, de omnibus tam paruulis quam adultis,
qui Christum amplectuntur iuxta externam po-
litiam, statuere, quod salui sint, & filij Dei, ut su-
prā de iudicio ecclesiæ dictum.

110.

Quapropter nondū probatū est quod Christus
uoce Talii ad spirituales dūtaxat paruulos respe-
xerit: sed pariter ad minutos pueros piorū paren-
tum, qui etiā filij Dei erant, respexit: et postea ad
omnes puerulis illis similes, ut suprā ostēsum est.

De tertio decimo.

111.

Nos confitemur, ut & suprā sepius, nos per
c 2 Christi

36 De infantum baptismo

Christi cognitionem, patremq; cœlestem, regni
Dei fieri hæredes: atq; etiam hanc ob causam pa-
rentes non conantur paruulis suis id regnum ex-
se dare, sed uera eos fiducia adferunt ad eum qui
dare potest, nempe ad Christum, cui pater omnia
tradidit in manus, atque simul omnem carnem: ut
ijs, quos accepit à patre, det uitam æternam. 10.
17. Qui etiam omne quod ad ipsum uenit, non fa-
ras ejus. Io. 6.

112.

Si libelli autor propositum suum recte proba-
re uellet, ante omnia debuerat ostendere, Chris-
tum piorum paruulos, qui ipsi consecrantur, non
recipere, atq; huius dicere causam. Item probare
debuerat, quod in paruulis nulla sit, aut esse queat,
Christi cognitio, quodq; Deo placere nō possint.
Sed hæc non attingit, atq; interim nobis dicens
dicit non controuersis.

113.

Psal. 8. Ex ore infantium et lactentium perfe-
cisti laudem, propter inimicos tuos. Si paruuli at-
que infantes Deo non placent, nullamq; Dei ha-
bent noticiam, quomodo Deum laudare poterū?
Cur Deus ijs utitur ad suam laudem? Sed fortasse
dicet autor, tantum de spiritualibus paruulis di-
ctum esse, non de carnalibus, ut solet etiam in ce-
teris locis. Cæterū Christus aduersatur Mattb. 21.
nbi

Conclusiones.

37

Ubi locum allegatum carnalibus pueris in templo
clamantibus applicat. Quare hunc quoq; de spiriti
tualibus simul & carnalibus piorum pueris intel-
ligere debemus.

De quartodecimo.

114.

Regnum cœlorum omnium esse hominū pro-
miscue, ecclesia nunquam docuit. Hoc autem sta-
tuere debet, quod regnum cœlorum eorum om-
nium sit, qui Christo inferuntur & consecrantur,
sive sint infantes, seu adulti, &c.

De quindecimo.

115.

Hic rursus garrit de electione, quam ecclesia
quidem non posse debet: sed de membris singulari-
bus iuxta eam pronunciare non potest, nec debet.
(Occultum enim est hoc, & diuinum iudicium.)
uerum, ut supra ostensum, iudicandum illi est iux-
ta externa, nempe de omnibus credentibus & ba-
ptisatis, quod sint electi & filii Dei. Quemadmo-
dum & dictum Petri ab eo allegatum, 1. Pet. 1. cla-
re indicat, ubi D. Petrus omnes credentes appellat
electos, & spiritu sanctificatos, participesq; asper-
sionis sanguinis Iesu Christi. Non certò potuit uti-
que nosse, qui nam electi essent propriè, (semper
enim inter Dei oves fuerunt hœdi, & adhuc sunt)
sed non docuit eum aliter loqui & pronunciare.

6 . 3 sicut

38 De infantum baptismo
sicut & D. Paulus ecclesias quibus scribit, electos
ac sanctificatos in Christo Iesu appellat. Nemo
unquam, quod sciam, ex Apostolis, ita argutatus
est, ut hic noster Thales.

116.

Ita statuit ecclesia de omnibus Christianorum
paruulis, quod electi, & regni Dei sint heredes:
neque disputare ac argutari eam conuenit de elec-
tione. Neq; etiam sperat aliud, donec adulti per
fidei abnegationem diuersum probent.

117.

Porro autor hic rursus argutabitur, dicetq;
Sic ecclesia errabit, quum non omnes possint esse
electi: ut scriptū est, Multi sunt vocati, sed pauci
electi: Respondeo: Nihil refert. Ecclesia iudicat ius-
ta præscriptum et dilectionem, quæ prior est
ad bonum quam ad malum. Et quos illa tandem
cœtu eximeret, quasi non electos: quandoquidem
corda, Dei q; consiliū hac in parte nō nouit? Qua-
re et si Ecclesia in quibusdam fallitur, erratq; fa-
cile se potest excusare. Apostoli Iudam Iscarioten
pro bono Apostolo censuerunt, quoad semetia-
psum proditione manifestauit: & recte fecerunt.
Nam de electione, rebusq; abditis, non est homini
num pronunciare.

118.

Quum ergo dicat, Non omnes paruuli, sed tan-
tum

Conclusiones.

39

tum electi sunt salui: respōdeo, Optime magister,
āge sumptis conspicilijs, monstrate nobis digito,
qui nam electi sint, aut minus, ut de illis absq; erro
re possimus iudicare. An magis cōuenit ut omnes
cōdemnem, an saluos dicam: quando scire nequeo,
qui sint electi? De autore ipso certus non sum, an
sit electus, pr̄sertim quum tam absurdā scribat:
ergo ne potius dicam damnatum esse, & diaboli
mancipium? Non ne satius est, ut iuxta dilectionē
iudicem, quandoquidem Christum confitetur, nec
verbū & sacramenta contemnit (sicuti spero)
dicāq; saluum fore, Deiq; esse filium? Sic iure de
omnibus piorum paruulis sentio, regnum cōlorū
eorum esse, etiam si quidam ex illis non sint electi.
Eos autem Dominus pro sua iusticia ad rationis
usum sinet peruenire, ut auditum contemnentes
Euangelium meritō damnentur.

De sextodecimo.

219.

In hoc fundamento idem agit, ut me respondeat
re pigeat. Concludit à particulari ad uniuersale,
sicut etiam hucusq; fecit, contra Dialecticam, &
talem format syllogismum.

1. Tantum oves Christi sunt saluae, & ijs re-
gnū cōlorum tribuendum est.

2. Quidam paruuli non sunt oves Christi.

3. Quare nulli paruuli sunt salui: neq; dicen-

c 4 dum,

40 De infantū baptismo
dum, regnum cœlorum eorum esse.

Quis non admiretur huius scriptoris sapientiam?
Quū cōcludere deberet in Baroco particulariter,
mutat conclusionem, negatq; de omnibus, quod de
nonnullis negari poterat, atq; hoc in malam par-
tem. Et si tantum nobis diceret, qui paruuli non
sint oues Christi, forsitan absq; errore rem acu pos-
semus tangere. At nobis dicere nō potest, neq; nos
nouisse. Quamobrem iuxta politiā Ecclesiæ ex-
ternam, cogimur iudicare ac dicere: Omnes par-
uuli Christo addicti & inserti, salvi fiunt. Ita iudi-
cat D. Paulus Gal. 3. Quicunq; in Christum bapti-
sati estis, Christum induistis.

De decimo septimo.

120.

Nostro hoc iudicio non inuidimus neq; infrin-
gimus iudicium Dei, sed sinimus ut is suos recte-
norit solus: tandemq; imitatos ad nuptias inspi-
ciat, separatq; oues ab hoedis. Neq; D. Paulus supe-
rius citata sententia Deo præiudicauit, ut nec quā
scripsit Phil. 1. Confidēs hoc ipsum, quod qui coe-
pit in uobis opus bonum, perficiet usq; in diem Ie-
su Christi. Sicut est mihi iustū hoc sentire pro om-
nibus uobis, eo quod habeam uos in corde & in
uinculis meis, &c. Neque quum scripsit 1. Cor. 1.
Qui & confirmabit uos usque in finem sine cri-
mine, &c.

121

Conclusiones.

41

121.

Vnde seit D. Paulus, quod Deus bonum opus
in Philippensibus sit perfecturus, omnesq; Corin-
thios confirmaturus usq; in finem sine criminis?
Non illum præterit haud dubie, solos electos con-
firmari usq; in finem, inq; solis electis bonū opus
perfici Nihilominus tamen dicit, iustum sibi esse,
ut ita sentiat de illis omnibus, eo quod eos habeat
in corde, &c. nempe, propter charitatem, que de
omnibus hominibus optimè sperat, præcipue de
Christianis et fratribus, et credit omnia. 1. Cor. 13.

122.

Si prauum est, & iniquum, ut de aliorum uoca-
tione ad fidē, deq; salute solliciti simus, D. Paulus
præcipue inique egit, quod scribit Rom. 9. Verita-
tem dico in Christo, non mentior, testimonium mi-
hi perhibente conscientia mea in spiritu sancto,
quod tristitia mihi magna est, & continuus dolor
cordi meo. Optabam enim ipse anathema esse à
Christo pro fratribus meis, &c. Et Moses quum
ad Deum dicit Exodi 32. Remitte illis hoc pecca-
tum, aut dele me de libro quem scripsisti. Hoccine
est habere solitudinem, de aliorum hominū uos-
tatione ac salute?

123.

Summa, auctor libelli simplicibus fucum facit,
herborumq; præstigijs circumuenire satagit in-

c 5 cautos,

42 De infantum baptismo

cautos, faciens ex uocatione ad crucem, uocatione
ad fidem & salutem, commiscensq; diuersa. Locus
quem citat Ioan. 21. clare loquitur de uocatione ad
crucem & passionē, nihilq; de uocatione ad fidem
& salutem. Dixerat Petrus de Ioanne: Hic autem
quid? Audit autem: Si cum uolo manere, donec uer-
niam, quid ad te? Tu me sequere. An aliis crucem
laturus sit, nec' ne, non debeo esse sollicitus, ne of-
fendar: de omnium uero hominū salute debeo esse
sollicitus, quod ad uota precesq; attinet: nempe
precari pro eis, ut cōuertantur & uiuant. i. Tim.
2. Adhortor igitur primum omnium, fieri obse-
crationes, orationes, postulationes, gratiarum as-
tiones pro omnibus hominibus, pro regibus, &
omnibus qui in sublimitate constituti sunt, &c.
Et paulo pōst: Hoc enim bonum est, & acceptum
coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines
uult saluos fieri, et ad agnitionē ueritatis uenire.

124.

Quòd si sollicitus esse debeo pro omnium ho-
minum salute, proq; eis precari ut saluentur, adq;
ueritatis agnitionē ueniant: cur non etiam parv-
es ac ecclesia pro paruulis sollicita sit, proq; eis
precetur, atque in firma fiducia Christo addicat,
ut benedicātur et salui fiant? Quin clarum etiam
de hoc Christi habent mandatum, dicentis; Sinit
parulos uenire ad me, et nolite prohibere, &c.

125.

125.

Autor libelli colligit Scripturarum sententias
 absq; iudicio, ut satis apparet, neminem putans id
 intellecturum, aut tantæ sapientiæ se opposituru.
 Et si non tandem sensum Christi ac spirituale iu-
 diciū doceat, mundumq; inutilibus referiat libel-
 lis, corruituram existimat ecclesiam.

De decimo octauo.

126.

Si certitudo confirmatioq; credentium per mi-
 racula & signa, dationemq; ac effectum spiritus
 sancti, qualia in primitiua fuerunt ecclesia, debe-
 ret mansisse hucusq;, atq; in finem durare: non so-
 lum nobis de paruolorum, sed de omnium et no-
 stra salute modò dubitandum esset. Porrò nihil est
 necesse, quando Euangelij doctrina in principio
 satis per ea confirmata est, satisq; habemus certitus-
 dinis ex Scripturis et spiritu sancto de nostra par-
 uolorumq; nostrorum salute, iuxta dictum, Sinite
 paruulos uenire ad me, et nolite prohibere: ta-
 lium est enim regnum cœlorū. et Matth. 18. Ita nō
 est uoluntas patris uestri cœlestis, ut pereat unus
 de pusillis istis. Sunt et aliae similes sententiæ su-
 præ citatae.

De decimo nono.

127.

De uoce Talium, dictum est satis in principio,
 quod

44 De infantum baptismo
quod auctori ad suum propositum nihil seruat, sed
confiteatur primum de subiecto, deinde trahatur
ad alia. Si libanus non est excelsus, arboribus &
herbis amoenus, sicut cedri non sunt procere, quo
modo illis dilectus potest in his comparari? Sic, si
regnum coelorum puerorum illorum non fuit, quos
modo talium esse poterit?

De uicesimo.

128.

Sententiae, quas de parvolorum salute allega
mus, non sunt contra fidei analogiam. Neque auctor
huc usque probauit, nec unquam probabit.

129.

Post haec multa nugatur, ad quae ante respon
sum est. Quamuis adhuc libenter ex eo sciscitarer,
quos nam pro minimis censeat, ex his qui credunt
in Christum. An minimos censeat iuxta diuitias,
an potentiam, an fidem, an etatem. Et si censem iux
ta etatem, aut fidem, libenter ab eo discerem, an
non etiam parvuli in hac parte minimi esse pos
sint? Sane Matth. 18.19. & Mar. 10 & Luc. 18. maz
nifeste dicitur de naturalibus pueris.

130.

In sequentibus sententiâ Christi exponit Mar.
10. quam hactenus, ut opinatur, nemo intellexit,
dicitque tantum esse: Qui non per regenerationem
puer factus est malicia, nepe sine dolo, sicut puer,
non

Conclusiones.

45

non potest uidere regnum Dei. Hoc ipsum & nos dicimus. Addimus autem quod pueros, sicut & adultos, non tam promoueat, esse sine dolo: quam, esse in fide atque Dei foedere. Sunt enim & Iudeorum & Turcarum pueri non minus sine dolo, quam Christianorum, nec tamen ideo salui fiunt. Talius dictum Christi applicari non posset, Talius est regnum cœlorum. Quapropter Christus non tam respexit, quod sine dolo, sed quod essent in foedere gratiae.

131.

Paulo post ad ingenium redit, dicitque, Actionem Christi, benedictione, manuumque impositione, nullo modo de carnalibus pueris posse intelligi, quod ipsorum sit regnum cœlorum. Ratio: Quia in plerisque, quum ad adultam uenerint etatem, longe aliud experimur. Ad hoc prius responsum est: Ecclesia iudicat secundum externa, & manifesta, iuxta Christi & Apostolorum mandata & exempla: pronunciatque omnes parvulos Christo insertos, saluos esse, et filios Dei. Nec refert, quod postea se se nonnulli aliud esse declarant, ut supra ostensum est.

132.

Quis unquam tale audiuit iudicium, quale nos hic magister docet? Sic enim nos uult colligere: Multi habentur uiri boni ac integri, qui paulo post

48 De infantum baptismo

pōst mutātur, nec se bonos esse declarant: ergo de
nemine bene sentiendum est. Ita enim hoc in fun-
damento ipse colligit:

Omnis piorum paruuli habentur iusti:

At in multis pōst aliud animaduertitur:

Quare de nullo paruulo dicendum, quod in-
stus sit.

Ex hoc cōsequitur, de nullo etiam homine sen-
tiendum esse, ne de autore quidem ipso, quod sal-
uus sit, et regni cōelorum hēres. cras enim multa
ri potest. Contrarium autem docemur à Paulo,
Ro. 8. Spe salui facti sumus. et 10. Quicunq; inno-
cuerit nomen Domini, saluus erit. et 8. Ipse enim
spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod
sumus filii Dei. Gal. 3. Omnes enim filii Dei cōsī-
per fidem, quae est in Christo Iesu. Et alibi.

133.

Quod igitur gloriatur, se nobis intellectum
eum, sensumq; uerborum Christi tradidisse, qui sit
fidei analogiae conueniens: quodq; sufficientia
Scripturarum testimonia, demonstrationesq; hac-
beat, produxeritq;, Christi dictum de pueris tan-
tum spiritualibus esse intelligēdum: per negamus;
neq; probauit. Omnia enim illius funda-
menta sunt ruinosa & nihil. Scriptu-
rae, quas adducit, nihil buc
faciunt.

134

134.

Deinde nos docet, ne legamus Horum, pro Talium: esse enim inter ea magnum discrimin. Hoc nemo ignorauit, etiam ante quam nasceretur. Filius Talium, nobis recte habet, neque aliam curam substituere. Demōstrat enim nobis primum, parvulos esse salutis participes: deinde, quibus in rebus adultos illis oporteat esse similes, siuelint salui fieri.

135.

In calce demum rem bellè tractat, queritq; An non insignis error sit, Christi dictum, Talium est regnum cœlorum: &c. Sinite parvulos uenire ad me, &c. Iudeorū parvulis applicare uelle, qui eo tempore Christo allati erant, quasi illorum fuerit regnum cœlorū, &c. Nam simul et Iudeorū pueros, ipsosq; parentes, tum fuisse sub maledictione, sicut & hodie. Sed age statuamus syllogismū eius in ordinem, ut melius uidere queamus quid dicat.

1. Regnum Dei non est maledictorum:
2. Omnes Iudei una cum liberis sunt maledicti:
3. Quare regnū Dei, Iudeorū, parvolorumq; ipsorum non est.

136.

Huic opponemus nostrum, hoc modo:

1. Regnum Dei est confederatorum ac credentium in Christum.

2. Multis

2. Multi Iudei fuerunt in foedere, sperauerūtq;
in Christum uenturum, præsentenq; receperunt.
3. Ergo Dei regnum illorum fuit, & paruulo-
rum ipsorum.

137.

Primam eius syllogismi partem admittimus,
quatenus dictionem (maledicti) non de ijs intelli-
git, qui iuxta legem & peccatum quidem sub ma-
ledictione fuerunt, sed postea per fidem ē maledic-
tione emerserunt. Si uero de ijs intelligit, contu-
meliosum est, quod dicit, et contra scripturas, Pe-
rinde enim est, ac si diceret, semel maledictos, ē ma-
ledictione euadere nō posse, ac consequi salutem.
Confitemur tam Iudeos quam gentes esse pecca-
tores, et sub maledictione iuxta legem. Rom. 3. Ve-
rum multi ex utrisq; benedictionem sunt consecu-
ti per fidem: ut Abraham. Gal. 3.

138.

Quomodo uero alteram, nempe minorem (ut
uocant) probabit, quod uidelicet omnes Iudei
(nullum enim excipit) maledicti fuerint, atque eti-
tiamnum hodie sint, una cum paruulis suis? Certi-
dem, & multos reges, & plusquam septem milia
temporibus Helie, & Apostolos, Simeonem, Ana-
nam, Zachariam, Elisabetham, aliosq; multos, Ju-
deos fuisse scimus, non tamen maledictos. Ideo ne
maledicti

Conclusiones.

49

maledicti omnes fuerint, quod quidam illorū non
crediderunt? Minime. Rom. 3. Quamobrem iudi-
cet pius lector, an non temerarium ac impium sit,
pronūciare, omnes Iudeos (inter quos etiam com-
prehendit eos qui parvulos Christo attulerunt)
maledictos fuisse, unā cum parvulis ipsorum?

139.

Vnde scit, eos qui suos infantes Christo obtu-
lerunt, non fuisse in foedere, nec credidisse Deo, at
que ita semper in maledictione legis persequerasse
unā cum liberis? Oblatio certè illorum fidem indi-
cat, nō incredulitatem. indicat etiam Christi uer-
ba, Sinite parvulos uenire ad me, &c. & ample-
xatio, benedictioq; ac manuum impositio, quòd
parvulos & offrentes non habuerit pro maledic-
tis. Quid enim cum accederent maledicti? Quæ
cōuentio Christi cum Belial? Cur indignatus esset
discipulis, si maledictos ipsi adduci prohibuissent?

140.

Sin uero non fuerunt maledicti, (neque enim
unquam probabit) conclusio falsa est: atq; adhuc
firmum permanet, de ijs Iudæorum parvulis qui
Christo fuere oblati, dictum esse, quòd regnum cœ-
lorum illorum sit, et omnium illis similius: quum
Christus dixit, Sinite parvulos uenire ad me, &c.

141.

Hoc imponit auctori, quòd quum nunc Iudæum
d. nominata

50 De infantum baptismo
nominamus, inimicum Christi sentimus. At hoc il-
lo tempore nō erat: sed erant Iudei Dei populus,
illorum erat adoptio filiorum, & gloria, & testa-
mentum, & legislatio, & obsequium, & promissio
sa, & patres: ex iis erat Christus secundum carnē.
R. 9. 10. 4. Act. 2. Christianorum nomen longe
post cœpit Antiochiae, Act. 11.

142.

Quando ergo illius syllogismus consistere non
potest, noster haud dubie consistet firmus, nec illo
poterit conatu subuertere.

143.

Quòd locum citat Deut. 28. de Iudeorum maledictione, si legem nō seruassent: quodq; non seruarint: & quòd eorum maledictione, aliorū quoque maledictio ostendatur, omnesq; homines filii sint irae, nihil erat opus. Neque enim negamus, sed dicimus, Iudeos & gentes pariter à maledictione liberatos, & adhuc liberari per fidem in Christū, qui pro nobis maledictum factus est, ut nos a letis maledicto redimeret. Gal. 3.

144.

Ex his omnibus perspicuum est cuius, omnia
autoris fundamenta super harenam esse ædifica-
ta, parvulisq; piorum salutem admovere non posse.
Nec ecclesia errauit, quòd Christi sententiam (Sic)
nite parvulos uenire ad me, et nolite prohibere:
talium

Conclusiones.

58

Talium enim est regnum cœlorum) de pueris Christo allatis & addictis intellexerit: atq; inde adhuc sentiat, Talium, hoc est, piorum infantum, et similium, esse regnum cœlorū. Dominus custodiat ecclesiam suam in sana Euangelij doctrina. Amen.

1556. 23 Maij.

Lauds Deo, & Domino nostro Iesu Christo.

4 2

PATER NOSTER. C^o.

Matth. 6.

Per Ioannem Saceridem.

O' Cultor aulæ sidereæ Deus,
 Christi parens & Christigenum omnia
 Da nomen, expressa per omnes
 Laude tuum celebretur oras.
 Et liberatos à Satane iugo
 Nos porrò regno suscipe pie tuo,
 Sanctumq; seruos nos regnacat
 Pneuma tibi, moriente carne.
 Ut sic uoluntas hinc placeat tua
 Nobis, ministris ut placet igneis:
 Vt hi suprema coeli in arce,
 Nos quoq; sic tibi pareamus.
 Nobis egenis corporea insuper
 Quotidie fer subfida obsecro,
 Victum, ac amictum, ac sanitatem,
 Coniugium quoq; liberosq;
 Digni negamur muneribus tuis?
 Tu mitte noxam queso rogantibus:
 Nam nos quoq; omni debitori
 Nostro animum placidi fauemus.
 Ne nos relinquas in dubia pater
 Tentatione, at faucibus eripe
 Nos Ditis atri: est quippe regnum,
 Visq; & honor tibi sempiternus.

GRATIAS

GRATIAS AGO TIBI PATER,
Eccl. Matth. 11.

Per eundem.

TE pater laudo, tibi Rector axis,
Terræq; offero gratias,
Quod tua abscondens placita à superbis,
Et prudentibus, indices
Parvulis, quicunq; humili uocantes
Assistunt mihi pectore,
Cum sit. Certe pater hæc uoluntas
Est cantanda mihi tua.
Cuncta tu cedis mihi, meq; nemo
Dempto te Genitor uidet.
Teq; scit nemo, nisi natus, & cui
Natus lumina dat noua.
Ergo mortales properate cuncti
Ad me, quæcis onus improbum,
Et graues turbant animum labores:
Gratis uos ego recreo.
Huc, meum portate iugum: meoq;
Et mites, & humillimi
Cordis, exemplo fieri studete.
Sic demum requiem pij
Sentient ueram, neq; temporalem.
Læto pectore, nam iugum
Commodè ferte meum, & haud molestum
Correctis onus est meum.

CANTICVM MARIAE MATRIS
Christi. Luc. 1.

Per eundem.

Ex tollit Dominum mens mihi, & exilit
Seruatore Deo spiritus in meo:
Cum respexit amanter
Me uilem famulam suam.

Fœlicem ueniens hinc generatio
Omnis me referet, quod mihi præpotens
Fecit grandia Rector:
Sit nomen celebre illius.

Quin eius pietas fine caret quoq;
Nec pertæsus uti nostra piacula,
Villa ætate timentes
Ipsum destituet grauis.

Robusta Dominus mira facit manu,
Confundit tumidum cor, premit illius
Et conata potentes
Detrudit folio è suo.

Sustollitq; humiles, cordeq; paupere
Quicunq; esuriunt, exaturat bonis:
At dimitit inanes,
Frustraturq; ope, diuites.

Isrelem puerum suscipit in suum:
Hoc illi pietas, hoc Abrahæ data,
Illiusq; fideli
Persuadet soboli fides.

BASILEAE, EX OFFICINA
Iohannis Oporini, Anno Salutis humanae
M. D LVI. Mense
Octobri.

OCN 899062364